

Heinrich Rahn


Decanus Collegii Iuridici In alma Universitate Rostochiensi Henricus Rahne, I. U. D. Ad funeralia ... Dn. Henrico Schuckmanno, Icto, atque Professori Codicis celeberrimo ... Omnes omnium ordinum Cives Academicos officiose &peramanter invitat : [P.P. sub Sigillo nostrae Facultatis. a d. XXIV. Sept. Anno MDCLVI.]

Rostochii: Kilius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn755910036>

Druck Freier  Zugang





Handwritten text on a faded label on the spine, including the word "PHYSICA".

KL-241(4)¹

Oldendorp: Warhafftige entschul-
dinge. Rostock, 1533

wurde aus dem Band gelöst.

Steht bei Rara -

KL-241. (4.) <SON>

bestrahlt 2000

19
D E C A N V S
COLLEGII JURIDICI
In almâ Universitate Rostochiensi
H E N R I C V S R A H N E ,

J. V. D.

Ad funeralia,

Viro Amplissimo, & Consultissimo,


D N.

H E N R I C O
S C H U C K M A N N O ,

Jcto, atque Professori Codi-
cis celeberrimo, nec non Asses-
sori Consistorii Ducalis gravissimo,

Hodie hora 1. peragenda & frequentanda,

Omnes omnium ordinum Cives Aca-
demicos officiosè & peramanter invitat.



Rostochii, Typis Heredum Nicolai Kilii, Acad. Typ.
Anno 1656.

GRave sanè Academiæ nostræ vulnus mors falce
suâ inevitabili inflixit, quando, DEO sic vo-
lente, ex oculis ac consortio nostro rapuit vene-
randum senem Dn. HENRICUM SCHUCK-
MANNUM; in quem, si in quenquam nostri ordinis
elogium illud, quo Themistoclem exornavit Thucydi-
des, convenit: Erat, rerum improvisarum, cum bre-
vissima deliberatione iudex eximius: futurorū optimus
plerunq; consector: eorum, quæ sub manibus habebat,
efficax administrator: quorum erat inexpertus, ab iis
commodè judicandis non alienus: in rebus adhuc ambi-
guis, quid melius pejusve foret, præcipuè providens:
deniq; in omnibus peragendis, tam naturæ beneficio,
quàm consilii celeritate, ad explicandum, quid ex usu
esset, maximè idoneus. Unde non tantum in negotiis
hujus Academiæ rite & dextrè expediendis, & iuribus
ejus conservandis defendendisq; sed etiã in dandis con-
siliis, tam infimis, quam summis fuit promptus, & quod
præcipuum est, fidelis: imò in tractandis causis, neq;
diligentia, neq; studio, neq; fide quisquam ipsi confe-
rendus. Atq; ut paucis multa dicamūs, Antecessor &
Jurisconsultus fuit æquus, pius, prudens, cordatus, & ab
omni largitione ac lucro iniquo abhorrens. Cane enim
pejus & angue odit hujus seculi vel jurisperitos, vel Ju-
risperitorum nomen gerentes, quibus quæstus est vèni-
re advocationes, vènire etiã prævaricationes: in li-
tes cori, & gloriæ loco poni ex spoliis civium magnos
& statos redditus. Puris semper manibus tractavit ca-
stissimam Astræam, ejusq; sacra. Neq; profectò pa-
rum ipsum vel post mortem commendat, quod in cau-
sis agendis, non modò pactione, dono, munere, verum
etiam

etiam xeniis abstinuit. Oportebat quidem, inquit *C. Plin. secund.* quæ sunt honesta, non quasi illicita, sed quasi pudenda vitare: jucundum tamen, si prohiberi publicè videas, quod nunquam tibi ipse permiseris. Nec hujus sui propositi minorem laudem, aut obscuriorem famam, reportat, cum omnes ferè ex necessitate faciant, quod ille sponte faciebat. Satis enim laudis est, satisq; gloriæ, quod universis fuerit exemplo, & quod integritate suâ, in bonorum honestorumq; animis sempiterna sibi posuerit monumenta. Etenim non in nostrâ duntaxat civitate, nostraq; provinciâ, sed in aliis quoq; oris fuit, est, eritq; post fata amplissimus atq; clarissimus. Siquidem uti ingenio sibi autore dignitatem summam acquisiverat: ita perfecit, ut in respondendo jure non tam ingenio, quam autoritate valeret. Senectuti verò colendæ & ornandæ nullum existimavit honestius perfugium, quam juris interpretationem. Equidem sibi hoc subsidium jam inde ab adolescentia, comparaverat non solum ad causarum usum forenses, sed etiam ad decus atq; ornamentum senectutis: ut cum vires (quod jam senium appropinquaverat) deficere cæpissent, ab solitudine domum suam vindicaret. Quid est enim præclarior? quid svavius? quam honoribus & Reipub. muneribus perfunctum senem, posse suo jure dicere idem, quod apud Ennium dixit Pythius Apollo; se esse eum, unde sibi, si non populi, & reges, at omnes sui Collegæ, sui Clientes consilium expetant

Suarum rerum incerti, quos ego mea ope ex

incertis certos, compotesq; consilii

Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

Est enim sine dubio] Cti domus totius oraculū, non dicemus civitatis, sed regionis. Testis est hujusce, non saltim,

ut vult Cicero, Q. Mutii, sed etiam, quod nos scimus, nostri defuncti Senis janua & vestibulum, quod in ejus infirmissimâ valetudine, affectaq; jam ætate, maximâ quotidie frequentia civium, ac summorum hominum splendore celebrabatur. At hæc omnia in luctum janua sunt conversa. Næniæ ante fores Schuckmannianas eiusq; in ædibus, canuntur. Quo enim majori cum lætitiâ istum virum alma nostra mater Academia excepit, & quanto plus nobis vita ipsius attulit utilitatis, tanto acerbiores obitus ejusdem perturbationes importat. Verùm his relictis, ea quæ ad funeralia rite peragenda, facere arbitramur, paucis attingemus; in quibus pertractandis Vir piè defunctus venit considerandus præprimis, ut civis Reip. literariæ, tum ut Pater familias. Utrumq; à nativitate ordiri necesse erit. Edidit autem in lucem Dn. HENRICUM SCHUCKMANNUM Seniore[m] urbs inter Westphalicas præclara OSNABRUGUM, anno M. D. LXXXII. die 25. Julii. Pater ipsi fuit HERMANNUS SCHUCKMAN, Civis diætæ jam urbis, & vir honestus ac pius. Matrem habuit ANNAM FLORKEN insigni integritate & pietate, fæminam. Christo salvatori consecratus per baptismum, ex matre probâ cum primo quasi lacte hausit pietatis virtutisq; amorem. In ipsa statim pueritia expertus est hominem calamitatibus subjectum esse, quando Patre fuit orbat[us]. Coelestis tamen parens matri viduæ adstitit, quò posset hunc suum filium ad magna natum, benè educare. Jactis in patria, Lemgovien[si], & aliis vicinis Westphalorum scholis literarum & disciplinarum liberalium fundamentis, Regiã ad hanc anno Christi M. DCV. ætatis XXII. sese recepit. Comites itineris ipsi fuerunt præter Deum, preces matris. Quippe quæ cum ei valedice-

valediceret, Abi in nomine Domini, inquebat, comita-
bor te precibus meis, & prius forsan ero votis meis Rostochii,
quã tu eò veneris. Et hæ maternæ preces absq; dubio operatæ
sunt, ut filius, quantum conditio humana permittit, feliciter
& quietè vitam suam hic loca transigere potuerit. Postquam
omnium liberalium artium varietatem degustaverat, animũ
appulit ad Jurisprudentiam. Inq; eã addiscendã tam fuit
sedulus, ut omnium mentes sibi conciliaverit; singularem verò
gratiam, atq; favorem Jctorum celeberrimorum, Ernesti Cothmanni,
Bartholomæi Clingii, & Alberti Heimi Senioris consecutus sit.
Hospitio & mensã usus est primũ Viri Clarissimi M. Johannis
Posselii Græca Linguæ Professoris & Rectoris Scholæ oppidanæ
in docendo fidelissimi; post Johannis Moringii & Friderici Corfeii
J. U. Doctorum & Advocatorum tum temporis inter omnes hujus
Provinciæ excellentes. Confugit ad ejus disciplinam nobilissimus
Jovenis Andreas Mörder / cum quo, sexennio Rostochii peracto
Argentoratum profectus est, & post elapsam annum Tubingam
cum suo Mordero se contulit. Receptus ibi non saltim est unã
cum comite in Collegium, quod fovent Illustrissimi Duces
Wurtembergici, equestre, sed & aliis Principibus studiorum
causa illa in Academia degentibus virtute & eruditione sua,
se amabilem reddidit. Substitit eo in loco integrum biennium,
& interim tam sibi erudendum traditum Morderum, quam
alium juvenem nobilem Brunsvigicum, Von Heimburg dictum,
& bonis literis, & præcipue principiis Juris Publici imbu-
vit. Dein Rostochium quidem rediit atq; reduxit suæ doctrinæ
alumnum; at ratus Juris pentum sine usu & exercitati-
one nihil prodesse Reip. De eadem, qui informati-

one Tribunalis Atheniensis usus est, imitatus, ad summum Imperii nostri Judicium, quod est Spiræ Nemetum, contendit. ibiq; præcepta Juris & æqui, quæ hæcenus imbiberat, cum usu, optimo omnium rerum magistro conjunxit. Hinc Heidelbergam antiquam illam & satis celebrem Academiam ad Nicrum sitam accessit, & posteaquam ibi benevolentiam atq; amicitiam summorum virorum Reinholdi Bachovii, Eçhtii, Dionysii Gothofredi. & Danielis Nebelii adeptus esset, quod ipsi eruditione & virtute prædito factu fuit facile, siquidem illum in primo statim adventu & alloquio, favore suo dignum judicaverunt. Habitâ disputatione inaugurali de Sententia & Re Judicata, summos in utroq; jure honores assumpsit, & iis ornatus Rostochium reversus est. Cœpit agere causas, & quidem felici successu. Mox in matriculâ Advocatorum & Procuratorum, qui in Judicio hujus Mecklenburgicæ provinciæ, quod Sternbergæ consistit, justitiæ inserviunt, nomen suum inseri curavit. Quanta autem fuerit integritate & fidelitate Patronus causarum, vel ex eo unico elucet, quod, quam in minimo juri legibusve adversari animadvertit, defendere ipsi fuerit religio: Quâ Viri dexteritate cum singulari prudentiâ conjuncta ordo equestris & Nobilitatis Mecklenburgicæ fuit permotus, ut ipsum anno M. DC, XXIII. Assessorem Judicii antè memorati eligeret. Munus hoc non tantum commodè & rectè administravit, sed negotia quoq; ardua alia, vel ab Illustrissimis Principibus, vel à Nobilibus sibi demandata, laudabiliter gessit & perfecit. Anno M. DC, XXXIII. ab Illustrissimo & Celsissimo Principe ac Dn. Dn. JOHANNÉ ALBERTO, Duce Mecklenburgico &c. laudatissimæ memoriæ vocat' est ad Professionem Codicis Justinianei, vacuam non ita pridem morte

morte Viri Amplissimi & Consulcissimi Petri Wasmund
factam. ut & ad Assessuram, cum Fratre Illustrissimo
communis Consistorii, nec non simul Consiliarius à se-
cretioribus Consiliis gratiosè declaratus est. Quod qui-
dem triplex officium invitatus suscepit, verùm Principis
voluntati resistere non potuit. Et quamvis post beatis-
simum Principis JOHANNIS ALBERTI obitum ite-
rum ei delatum fuerit Consiliarii munus; tamen illud
modestè recusare, cum ingravescente ætate, tum debi-
litate corporis fuit coactus. Eodem autem tempore, ut
modò dictum, & Professor, & Judex, & Consiliarius
factus, unumquodq; officium ita gessit, ut cujusvis expe-
ctationi satisfecerit, & gloriam atq; laudem reportave-
rit. Professor, quamdiu ætas & sanitas permisissent, se-
dulò & accuratè privatim & publicè docuit, ordinemq;
Judiciorum, quem Processum vocant, verum demonstra-
vit; ut cavere dicerent Studiosi ab eò, quo hodie judicia
pleraq; corrumpuntur. Quinq; Reçtoris personam
sustinuit in nostra Repub, literariâ, eamq; magna fide
& diligentia gubernavit. Lex erat, ut Magistratum de-
cet, loquens. Omnes omninò cives sciebat æquitate,
continere, atq; cujusvis utilitatem sic tueri, ut quicquid
agebat, ad eam referret, oblitus commodorum suorum;
Literarum enim studis tantum ad moderationem animi
& ad prudentiam profecerat, ut Reipub. navem feliciter
regere posset. Quantâ dexteritate quanta diligentia, &
quâ consideratè causas ad Facultatem nostram relatas de-
fini verit, novim⁹ nos, qui ad latus ipsius sedimus. Judicis
Spartæ ita præfuit, ut nec fautorib⁹ admonendi, nec ob-
treçtatoribus reprehendendi locū relinqueret. Nihil ip-
se duxit antiquius, quàm ut suū cuiq; tribueret; & semper ju-
dicaret, quasi aliquando ab alio judicandus. Posuit per-
sonam

sonam amici, cum induit iudicis: Non solum, quid posset, sed etiam, quid deberet, ponderavit. Nec plus sibi permissum meminit, quam commissum & creditum. Habuit in consilio legem, fidem, religionem, æquitatem: libidinem autem & invidiam, metum, cupiditates abs se segregavit. Maximè ubiq; æstimabat conscientiam mentis suæ, tanquam perpetuum actionum suarum testem. Neq; minus Consilarii munus explevit. In id enim enixè incubuit, ut Principis animum irritatum leniret, non accenderet: ut ubiq; retineret intemeratam fidem, libertatem loquendi, ne ex timore vera reticeret, illecebris malisvè artibus corrumperetur, ne deniq; mentiretur, & sub specie recti falleret. Sed satis de his, ad familiam beatisenensis nostri progrediamur. Anno M. DC. XIV. mense Novemb. in matrimonium duxit virginem lectissimam & pudicissimam ANNAM STECHOWEN/ALBERTI Stechowen/ viri, civis, & Præfecti templo apud nos, Petrino integerrimi, & AGNETA Pegels/foeminae honestissimæ filiam. Sicut autem matrimonium solet esse schola afflictionis; ita & hi novi mariti ad finem primi statim anni calamitate domesticâ affecti sunt. Soboles enim foeminina, primitiæ conjugii, in ipso partu fuit extincta. Quod tamen infortunium Deus ter opt. max postea benignitate largâ compensavit. Viderunt enim ex senatos septē filios & tres filias utpote HERMANNUM, ALBERTUM, ANNAM, HENRICUM, CUNRADUM, JOHANNEM, AGNETAM, DAVIDEM I. ANNAM AGNETAM, & DAVIDEM II. Ex quibus Anna anno ætatis septimo, unâ cum Avia, Sternbergæ vitâ excessit. Albertus J. U. Studiosus ætatis anno 21, Johannes SS. Theologiæ deditus similiter anno ætatis 21. Agneta, item Anna Agneta &

ta & Davides ambo in pueritia. omnes hic Rostochii vitam cum morte commutarunt. Henricus verè posteaquam publice de primo & secundo decreto pro consequendis summis in jure honoribus in patria inter omnium applausus disputaverat dignissimus ejusmodi dignitate judicatus, cum fratre Conrado peregrinationi, ut & aliorum urbes & mores videret, se dedit: in quo itinere Osnabrugi anno salutis M. DC. XLVIII. sub conclusionem Pacis Germano-Svecicæ placide & beatè expiravit. Quàm acerbe parens tulerit hujus & præmortuorum liberorum obitum, facile conijcere possunt, qui norunt, quid sit affectus paternus. Et sanè eò magis illas clades doluit; quò majorem in sollicitudinem antè conjectus erat decessu charissimæ uxoris. Illa namq; fida thori socia, unæ cum foetu, duodecimo connubii pignore, in ipso partu naturæ debitum persolvit, anno Conjugii 21. Redemptoris verò M. DC. XXXV. mense Februario. Viduus vitam solitariam egit in annum usq; alterum. sed cum illam amplius nec curæ publicæ, nec res œconomica, nec labores muneris admitterent; ad vota secunda accessit. & confortem thalami domum duxit Matronam virtute & pietate eximiam ANNAM Kolsow/ viduam beati Viri Thomæ Hagedors/ civis & mercatoris hujus urbis primarii. Societas hæc conjugalis plena quidem fuit concordiæ & tranquillitatis, at non adeò diuturna. Decimo enim quarto anno, qui erat M. DC. L. hoc etiam solatio, terreno quidem, sed amabili fuit privatus. Cum verò indies magisq; viduus senectute conficeretur, ut curis & rebus domesticis præesse, non rectè posset, tertiis sibi conjunxit nuptiis matronam virtutibus, quæ sequiorem sexum summopere ornant, conspicuam, Ilsebe Roggen/ senatoris hujus urbis, dum vivebat, prudentissimi viduam. Uti autem non ex secundo, ita nec ex hoc tertio matrimonio progeniti fuere liberi. Interea

B


Patri


Patri senescenti instar multorum extiterunt duo illi filii
optimi, HERMANNUS & CONRADUS, quorum ille
est SS. Theol. Doctor & Professor in hac patriâ Academia
meritissimus, Collega & amicus noster ætatem colendus.
Hic J. U. Doctor Dn. ALBERTI HEINII, Jcti, Illu-
strissimo atq; Celsissimo Principi ac Domino Dn. ADOL-
PHO FRIDERICO, Duci Mecklenburgico &c. Magnifi-
centissimo Universitatis Rostochiensis Cancellario &c. à
Consiliis intimis, Cancellariæ Sverinensis Directoris & Pro-
fessoris Decretalium famigerabilis Affinis, Collegæ, & ami-
ci nostri observandi vices gerit sibi à Celsitudine Ducali de-
mendatas. Utriq; fratrum optamus à Deo omnia corporis &
animi bona, longam vitam, & prosperitatē perpetuā Existima-
mꝰ verò, neq; quenquam dissentire arbitramur, non exiguā
humanæ felicitatis portionem consecutum esse defunctum
eo ipso, quod maximam sobolis partem vivus vidensq; Deo,
à quo acceperat, reddiderit, & quos ille superstites reliquit,
fulcimenta senectæ. atq; ornamenta familiæ conspexerit;
imò quod utriq; ad nutum votumq; suum uxorem dare po-
tuerit. D. HERMANNUS quippe in matrimonio exopta-
tissimo tenet fœminam & castitate, & aliis muliebribus vir-
tutibus ornatisimam, MARGARETAM, filiam Dn.
JACOBI Sembfen/ viri antiqua virtute & fide, ac Senatoris
optimi; cujus anima paucas ante septimanas carni valedi-
xit, & ad beatorum sedem migravit. D. CONRADUS vi-
tæ & fortunæ sociam sibi elegit puellam elegantī formā
& modestiā CATHARINAM Schmiedes/ Civis & viri
quondam boni, egregii & providi. Hoc verò conjugale gau-
dium, vix fuit annum. Dicta enim Catharina vix mater
facta filioli, in puerperio occubuit, & reliquit marito ac
patri recens natam renatamq; prolem Beniamino similem,
& avo nepotem *ὁμῶνυμον* HENRICUM. Qui & ex filio
HFR-

HERMANMO vidit nepotes tres, HENRICUM, JACOBUM, JOHANNEM, nec non neptes duas, ANNAM & MARGARETAM. Audimus Avum hos tuos nepotes & neptes, hæc Schuckmanniana germina ex capulo quasi alloquentem: Vos mei sæculi, vivite felices; vivite Deo, & florete in multa annorum secula. Quod si jam pietatis studium, quod cum Doctore Gentium ad omnia utile esse censuit demortuus, vellemus recenfere, obloqui quis posset: nos soli lumen addere, & noctuas Athenas ferre. Siquidem ipsius religio omnibus est notissima tam ex privato quam publico verbi divini cultu. Pietas illi omnium actionum & consiliorum fuit norma. Timor Domini primum fuit & ultimum cum in prosperis, tum adversis refugium. Quemadmodum Reip. summa industria & vigiliis assiduis præfuit; sic in re familiaritalem se gessit, ut domus ejus pietatis, precum & virtutis officina videretur. Id quod ad ultimum usq; spiritum satis sperq; testatum fecit. Cum enim ante quatuor septimanas die dominica, quæ erat 24. Augusti, ex templo Domum redeuntem morbus, mortis nunciu cum lecto affixisset, consuluit quidem Medicum & Professore Experienceatissimum & Exeellentissimum Dn. Doctorem Sebastianum Würdig/amicum & Collegam nostrum honorandum; at cum primis ad Medicum & Doctorem cælestem confugit, Jesum, ejusq; verbum in corde in ore singulis fere momentis habuit: illum in auxilium vocavit, illum devota mente inter æuros corporis dolores imploravit. Terrenis omnibus rejectis & neglectis in solo Dei verbo & voluntate acquievit, cui etiam, licet lasa & languida membra vix movere amplius potuerit, vel nudando caput, vel manus ad preces componendo inservire enixus est, donec tandem inter preces & lachrymas filiorum, nurus, & aliorum adstantium placide & beatè obdormiret, anno ætatis suæ septuagesimo quinto. Sic senior noster HENRICUS SCHUCKMAN ex hac miseriarum valle, laborum area, periculorum palæstra, fallaciarum scena eò transiit, ubi tranquilla sunt omnia, & totus spiritus in DEI contemplatione est occupatus. Lætat mortuus, lamentantur superstites; qui tamen, quam primam, quas pietati debent, lachrymas profunderit, luctu desistent, respicientes inter multa alia ætatem defuncti, ad terminum fere, quem vitæ humanæ summum ponit Rex & Propheta David, protractam. Cumq; in hac rerum omnium incertitudine nihil certius sit, quam mors, expectandum nihil aliud fuit, quam ut aut ipsi illum, aut ille ipsos præcederet. Natura igitur neq; vitæ culpari, quod servavit, ordinem, quem sæpissime negligit, & quod prius


prius ex hac vira exiit, qui prior in eam venerat. Cæterum funus mortui
SCHUCKMANNI hodie ad horam I. efferetur. Convenite ergo, Ci-
ves Academici, frequentes ad cohonestandas exequias viri magni, & de Ju-
risprudentia, de Justitia ipsa, de universitate, de ordine nostro præclare me-
riti. Nulli autem dubitamus, quin sponte vestrà facturi sitis, quod postu-
lat pietas, & svadet honestas: quod debetis defuncti Parentis honori su-
premo, & quod filiorum superstitem dignitati omninò convenit. Ideoq;
pluribus vos ad id invitare, & de hoc officio admonere supervacaneum ju-
dicamus. Dum verò alienas itis exequias, cogitate, vestras instare. Memen-
tote, vos esse mortales, ut discatis bene vivere, bene mori: Et eritis bea-
ti. Valete P. P. sub Sigillo nostræ Facultatis. a. d. XXIV. sept.
Anno clb lvc LVI.












the scale towards document



Quidem diversæ passim Philosophiæ
 circumferuntur descriptiones, quas
 singulas, & recensere, longum; & ad
 rationis, in præsentiarum, libellam re-
 vocare, tædiosum foret. Antiquissi-
 mam ego primâ facio: tanquã à Philo-
 sophorū, quos habemus, Primate la-
 tã, omniumque, rectè philosophanti-
 um, calculo, hactenus approbatã Pla-
 tonis ea est, digna profectò Authore,
 abus tantum voculis, **MEDITATIONE**, puta,
 utatur. Censebat Divinus ille Vir, tantò nos eva-
 des, quantò vivaciùs consideremus mortem. Ne-
 ipso falsus est, cùm, quodcumque in Philoso-
 , circa mortis meditationem reperiamus. Mor-
 , quæ rectam vivendi rationem monstrat, atque
 it, quales esse in morte desideramus. Ea, animum
 quæ à verò nos abducere, aut aliquam, nomini
 m notam inurere possunt. Ea est, quæ do-
 , timorem pellit, tranquillitatem inducit;
 s casuum animum varietates firmat, adversus
 reddit, quando omnia ab eodem impedi-
 tantò paratior sit, sicubi res exiget, statim
 quando est faciendum, statim exire, quo ali-
 ndum, tabernaculo suo. Quæ enim ista mort-
 st, aut socordia, cùm cognati simus DEO, cùm
 terris animal, præter hominem, cognitione.

DE